Luebbert, Eduard
De Pindari carminibus dramaticis tragicis eorumque cum epiniciis cognatione

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXIV—LXXXV

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

Inest EDVARDI LVEBBERTI *commentatio de Pindari carminibus dramaticis tragicis eorumque cum epiniciis cognatione.*

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Subsidia nonnulla interpretationis Pindaricae immerito suspecta. Carmen Nem. IX. de lyrica tragoedia quid doceat.

Utilissimum haud dubie et maxume necessarium in litteris nostris est Epicharmeum νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. Sed in hac quoque re, ut in omni vita, curandum est, ut Solonei quoque dicti ne immemores simus: μηδὲν ἄγαν. Negandi illa et dubitandi consuetudo, quae assensum semper cohibet, quae semper, ne carbones pro thesauro sibi obtrudantur, timet, veros saepe thesauros e manibus caeca amittit. Atque haec saeculi nostri nimia in fraudibus odorandis cautio iam pridem haud ita leve damnum Pindaricis litteris attulit. Nam sunt antiqua quaedam et praestantissima interpretationis Pindaricae subsidia, quae diuturna illa negandi consuetudine et adversis hominum rumoribus in tantam invidiam adducta sunt, ut nemo eis uti iam audeat, immo omnes tanquam a scopulo inde cursum avertant. Haec igitur pro viribus mala fama liberare et in hominum favorem, si fieri possit, restituere conabimur. Atque ut statim rem illam, cuius iam nomen pro malo omine haberi solet, audacter eloquar: *lyricae tragoediae* memoriam instaurare in animo est!

Verum ut omnia recte et auspicato procedant, paullo altius initium rei repetendum est. Pindari nonnulla carmina tragoediae aperte sublimitatem spirant. Non sunt ea mera epinicia; Pindarus, qui mos est architectorum interdum architecturae ordines miscentium, epiniciorum structurae praeclara quaedam e genere tragico ornamenta admiscuit, columnas, acroteria, zophorum, eoque temperamento egregiam pulchritudinem assecutus est. In carmine Nemeo IX. in Chromium quis non omnes numeros tragoediae in parte mythica agnoscat? Prodit Adrastus, heros generosissimus, omnibus virtutibus ornatissimus, ingentis belli consilia animo volvens. Sed in illa virtutum copia, ut sunt humana omnia errori et culpae obnoxia, tanquam in pulcherrimo flore vermiculus, recondita quaedam culpa latet. Adrastus pro summa in rebus humanis lege *strictum ius* colit; hac una libra omnia pendit et aestimat; quae ex animi sententia iusta esse sibi persuasit, ea

haud cunctabundus exequitur. Abest eius ingenium longissume ab Amphiarai illa modestia, temperantia, pietate, quae non suis decretis, sed continuo illo cum deis immortalibus per oracula commercio freta, recta a falsis discernit deorumque ubique nutus pro summa lege veneratur. Habemus igitur in Adrasto luculenter expressam illam virtutem heroicam, culpae alicuius macula contactam, quam in tragico heroe Aristoteles requirit. Poet. cap. 13 ὁ μεταξὺ ἄρα τούτων λοιπός. ἔστι δὲ τοιοῦτος ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνῃ, μήτε διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινα τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων καὶ εὐτυχίᾳ, οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης.

2. Dramata Pindari tragica (δράματα τραγικά) apud Suidam quid lucis epiniciis explicandis adferant.

Aliquid igitur haud dubie lucri ex hoc carmine Nem. IX. litteris nostris accedit. Videmus, Pindarum interdum adsumptis tragoediae thesauris epinicia sua inlustriora et locupletiora reddidisse. Haec epiniciorum cum tragoediae splendidis coloribus copulatio, de qua ipsa carmina nos edocent, clarior etiam redditur testimonio quodam cognitu dignissimo de Pindari carminum generibus apud *Suidam* servato. Suidam autem in articulo Pindarico egregios fontes nobis propinare, cuivis, opinor, constabit. Is igitur in operum Pindaricorum recensu ultimo loco titulum ponit, qui continuis virorum eruditorum contentionibus famosus paene factus est: δράματα τραγικά. Hac una *dramatum tragicorum* voce quanta nobis nunc lux adfertur! Uno hercle nunc ictu aperitur, Pindarus unde tragoediarum in epiniciis ornamenta sumpserit. Ipse fecundissimum ingenium ad dramata tragica pangenda adpulerat. Quid planius et magis consentaneum, quam poetam duo genera, in quibus habitaret, ubi res poscere videretur, ita copulasse, ut ex eo, quod sublimius esset, alteri quod in rebus splendidissimis quidem, at humanis tamen versaretur, pocula nonnulla adfunderet, obsecutus quasi Achillis apud Homerum praecepto ad Patroclum Il. ι, 203 ζωρότερον δὲ κέραιε. Similiter Pindarus, quamquam ratione contraria, alius quoque cuiusdam lyricorum carminum generis fines et legem paullulum migravit. Hyporchemata, quae prisco tempore haud dubie solas deorum immortalium, Apollinis imprimis, laudes continebant, Pindarus ex sublimiore statione in humiliorem deduxit; nam hyporchemata quoque, encomiorum similia, in mortales composuit, ea sane lege observata, ut deorum laudes admiscerentur: qua de re optime Bergkius, Poet. Lyr. I[4], 370 extr. exposuit. Notissimum est Pindari in Hieronem hyporchema; Schol. Pind. p. 322 extr. συνέγραψεν αὐτῷ προῖκα ὑπόρχημα, οὗ ἡ ἀρχή· Σύνες ὅ τοι λέγω, ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε πάτερ, κτίστορ Αἴτνας.

Sed est dubitatio quaedam, quae sententiae illi nostrae de mixtis cum epiniciorum structura carminibus dramaticis tragicis statim in limine obici possit. Nomen ipsum dramatum erunt fortasse qui ab histrionum et dialogorum apparatu inseparabile iudicent. Verum enim vero res longe secus se habet. Δράματα enim sensu vetustissimo quid sunt aliud, quam notissima illa in sacris δρώμενα? Rem optime probat Clemens Alex. Protrept.

II § 12 p. 14, 15 Klotz: Δηὼ δὲ καὶ Κόρη δρᾶμα ἤδη ἐγενέσθην μυστικόν· καὶ τὴν πλάνην καὶ τὴν ἁρπαγὴν καὶ τὸ πένθος αὐταῖν Ἐλευσὶς δᾳδουχεῖ. Ipsis deinde chororum cantibus "dramatum" nomen inditum. Haec dramata apertissumum est lyrici generis fuisse neque ullum in eis vel dialogi vel histrionum usum esse potuisse. Tale antiquissimum drama nobis describit Athenaeus, vel Aristocles potius apud Athenaeum: ἐν ὀγδόῳ τῶν περὶ χορῶν, Athen. 14, 630, C συνέστηκε δὲ καὶ σατυρικὴ πᾶσα ποίησις τὸ παλαιὸν ἐκ χορῶν, ὡς καὶ ἡ τότε τραγῳδία· διόπερ οὐδὲ ὑποκριτὰς εἶχον.

3. Lyricarum tragoediarum hoc potissumum proprium est, ut in eis pro Bacchi passionibus (πάθη) heroum in fortunae palaestra fortiter dimicantium fata substituantur.

Iam igitur si oculos retro paullisper vertamus, nascitur quaedam et emergit iam lyricae tragoediae imago. Nec δραμάτων τραγικῶν inane tantum nomen traditum accipimus, sed qualia illa fuerint etiam adumbrari lineis nonnullis iam licebit. Qua in re pro Ariadnae filio nobis erit carminis Nemei IX. pars mythica. Intellegitur ex huius carminis compositione, unam esse rem, quae plurimum faciat ad eorum dramatum naturam et artem recte definiendam. *Canuntur in his carminibus heroum, non ipsius Bacchi fata.* Non Bacchus est, sicut in dithyrambis, quem chori illi in pulcherrimo pueritiae flore extinctum, ab immanibus hostibus vinctum, vexatum, in frusta discerptum lugent et querelis prosequuntur, sed heroum illi aerumnas canunt, humana humanitus tolerantium. Itaque inter ambo illa carminum genera, dithyrambos et tragoedias lyricas, et maxima est similitudo et summa rursus dissimilitudo. Primum hoc ambobus commune est, quod in lugubribus fatis dilectorum sibi numinum plangendis participes sacrorum totos se profundunt, intimis praecordiis percelluntur, quod una cum divinis illis praecursoribus cruciatum et dolores toto pectore recipiunt, denique quod illorum quasi vicem extrema patiuntur et ad mortem se plecti fingunt. Sed maxuma etiam est amborum dissimilitudo, et hercle dissimilitudo pulcherrima, quam si funditus cogitando exhauriamus, sola iam Graecorum populo immortalitatem parere possit. In dithyrambis Bacchus est puerulus, qui extrema patitur, qui a Titanibus discerpitur, puer divinus et omni noxae culpa liber, nulla ad confligendum vi firmatus, qui innocentissimae hostiae instar mactatur. In tragoedia lyrica heros prodit, generis humani vicem sustinens, qui viribus et robore paene supra humanum modum firmatus et fidens fortunae ictus provocare videtur. Et est sane in eo, quod fortunam lacessat: culpae notio. Nam hoc proprium est heroum, qui deorum quidem suboles sunt, sed in quibus humani sanguinis gutta est, ut in summa eorum virtute culpa lateat. Hanc luunt. Sed eorum interitus spectaculum est deorum oculis dignum. Ibi non puer innocentissimus mactatur, sed exardescit certamen, quo nullum pulchrius est, quo quae in universo mundo celsissima sunt, inter se confligunt: providentiae divinae lex cum virtute humana nondum perpurgata, sed hoc ipso certamine perpurganda.

4. Caussam mutati Bacchicorum cantuum argumenti profectam esse a Doriensibus Sicyoniis, qui lugubrem Bacchi cultum muliebrem et viris fortibus haud satis dignum iudicarent.

Quaeritur, quando tandem et ubi terrarum haec carminum bacchicorum seu tragicorum mutatio facta sit, qua hoc effectum est, ut pro argumentis mere bacchicis heroum fata substituerentur. Hoc quoque egregiis ex antiquitate testimoniis inlustrari potest. Mutationis eius initia a Doriensibus Sicyoniis facta sunt. Sicyone Bacchi cultus antiquissimis iam ante Dorum adventum temporibus floruit. Resonabant Sicyone tempore hiberno, cum ipsa natura ad luctum homines invitat, lugubres illi chororum tragicorum cantus, quibus Bacchus puer ab immanibus hostibus (atque Titanes eos voco, quiquid contra Lobeckius dicit) discerptus lugebatur. Verum hoc lamentationum et planctuum genus principibus Doriensium, summorum in moribus civium fingendis et educandis artificum, minus utile, immo muliebre, nec satis viris fortibus decorum visum est. Tali luctu animos penitus sane commoveri, sacrorum participes extra se ferri, sed mores et animorum robur nihil emolumenti capere rectissume ratiocinabantur. Iam igitur Dores in Bacchi locum heroem alium, sibi dilectissumum et dominationis suae patronum, Adrastum, substituerunt. Eius non fata solum et certamina, sed culpam etiam poetis canenda commendarunt, et leni illa quidem, sed insuperabili, qualis fuit in Doriensibus, vi propositum suum executi sunt. Prodiit Epigenes, qui primus novom hoc carminum genus felicibus auspiciis ceteris propinavit. Ab Epigene tragoedia lyrica, histrionibus carens, orta est; atque plus etiam dicere possis: tragoedia omnino. Nam tragoedia, quae quidem vere ita dicatur, tunc demum oriri potuit, cum cantus illi a Baccho soluti ad heroum fata transferri coepti essent.

Harum rerum, quas exposuimus, testimonia in promptu sunt haud ita pauca nec levia. Herodotus 5, 67 Dores ad Adrastum a Baccho choros tragicos transtulisse haud dubie testatur. Dicit enim, Clisthenem Baccho choros tragicos reddidisse, cum antea Adrasti passiones (πάθη) chori illi canere soliti essent. Herod. l. s. οἱ Σικυώνιοι ἐτίμων τὸν Ἄδρηστον, καὶ δὴ πρὸς τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον, τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμέοντες, τὸν δὲ Ἄδρηστον. Κλεισθένης δὲ χοροὺς μὲν τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκε. De Epigene poeta Sicyonio, qui sextus decimus ante Thespidem, hoc est sedecim aetatibus Thespide antiquior numerabatur, haec traduntur: Photius in Lexico vol. II, 35 ed. Naber: οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον· Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τραγῳδίαν εἰς αὐτὸν [O. Muellerus, Doriens. II², 360 not. palmari emendatione: εἰς Ἄδραστον] ποιήσαντος ἐπεφώνησάν τινες τοῦτο· ὅθεν ἡ παροιμία. Epigenem Thespidis proavom sedecim aetatibus maiorem fuisse, Suidas testatur s. v. Θέσπις Ἰκαρίου πόλεως Ἀττικῆς, τραγικὸς ἑκκαιδέκατος ἀπὸ τοῦ πρώτου γενομένου τραγῳδιοποιοῦ Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τιθέμενος. Hoc stemmate aetas Epigenis ad tempora, quo Heraclidae in Sicyoniam primum advenerunt (Paus. 2, 6, 7), aperte reicitur. Simile est Homeri stemma in certamine Homeri et Hesiodi, Westermanni Biogr. p. 35, quo Homerus a Lino gradu quarto decimo oriundus dicitur. cf. Welcker, die Griechischen Trag. III p. 1294.

Illa quoque testimonia, quibus, quemadmodum a Bacchi morte ad heroum fata carminum tragicorum argumentum traductum sit, traditur, consideranda nunc paullulum sunt. Photius l. s. p. 35 τὸ πρόσθεν εἰς τὸν Διόνυσον γράφοντες τούτοις ἠγωνίζοντο, ἅπερ καὶ Σατυρικὰ ἐλέγετο· ὕστερον δὲ μεταβάντες εἰς τραγῳδίας γράφειν κατὰ μικρὸν εἰς μύθους καὶ ἱστορίας ἐτράπησαν. Deinde Zenobius in Paroemiographis Graec. edd. Leutsch et Schneidew. vol. I, 137, Cent. V, 40 τῶν χορῶν ἐξ ἀρχῆς εἰθισμένων ... ᾄδειν εἰς τὸν Διόνυσον, οἱ ποιηταὶ ὕστερον ἐκβάντες τὴν συνήθειαν ταύτην Αἴαντας καὶ Κενταύρους γράφειν ἐπεχείρουν.

5. Lyricae tragoediae imago initio huius saeculi a Boeckhio introducta Eridis pomum fit duarum in philologia scholarum.

His igitur similibusque testimoniis fretus lyricae tragoediae imaginem primum sub initium saeculi nostri instauravit *Boeckhius*, Staatshaushaltung der Athener (editionis prioris, 1817) II, 663 et Corp. Inscr. Gr. I, 764 et II, 509. Eius sententiam exornarunt et exaedificarunt viri egregii *Welckerus*, Nachtr. zur Aeschyl. Tril. Frankof. 1826 p. 244 et die Griech. Tragoedien III, 1293; *O. Mueller*, Doriens. II^2, 360; *Schneidewinus*, Simonidis fragm. p. 52 lin. 7 ab inf.; *Hartungus* in Philologo I, 404. Videbamur igitur ἑρμαίῳ illo Boeckhiano nova quadam pulcherrimaque Musarum Graecarum filiola aucti esse, tragoedia lyrica, multorumque iam studiis eius cultus frequentabatur: cum subito turbo quidam exortus est, quem tanquam aliquis Iuppiter tonans et fulgurans *Godofredus Hermannus*, cuius viri nomen nunquam sine summa reverentia nuncupandum est, in commentatione elegantissima de tragoedia comoediaque lyrica, edita primum anno 1836, nunc Opusc. VII, 211, excitavit, quo turbine venusta illa Melpomenae filia, quae modo mundum timide, sed hercle Boeckhio patrono, salutaverat, subito disiecta, sparsa, hominum litteratorum oculis erepta est: "flavit et dissipata est." Etenim inventum illud de lyrica Graecorum tragoedia duas saeculi nostri philologorum scholas vehementer exercuit. In hac quaestione viri egregii, quorum nomina sidera feriunt, vires invicem periclitati sunt. Huius controversiae radices intimae haud dubie proficiscuntur ex ingenii humani omnino duplici quadam indole, quam philosophorum adhuc nemo penitus exploravit. Sunt revera duae hominum familiae: altera eorum, qui lubentius dubitant, quam credunt; altera eorum qui credunt lubentius, quam dubitant. Sed in hoc certamine victrix fuit Hermanni et Lobeckii caussa, siquidem hoc vincere est plurimorum eruditorum suffragiis consulem creari et omnia puncta ferre. Nam nunc omnino aut fallimur, aut ea est popularis vox, ut qui lyricam tragoediam pro re seria habeat, cachinnos moveat et Κρόνος aliquis vel Τιθωνὸς ὀψιμαθὴς existimetur, quippe qui rem Hermanniano et Lobeckiano acumine dudum profligatam et explosam recoquat. Sed in universa hac quaestione de lyricae tragoediae aut optimo in litterarum civitate aut nullo iure, principem semper locum obtinebit Suidae illud de Pindari carminibus dramaticis tragicis testimonium. Eius auctoritatem lyricae tragoediae patroni tanquam aliquod Palladium defendunt; adversarii praefracte ullam in eo ad demonstrandum vim esse negant.

6. Tragoediae lyricae fama et fides inprimis Suidae testimonio nititur. Id testimonium qui eruditi in suspitionem adduxerint, qui defenderit.

Verum res ut quemadmodum decet, in areopagum adducatur, seposito prooemio accusatorum nunc criminationes audiendae sunt. Primum *Lobeckius* in Aglaophamo p. 977 tragoediae vocabulum a Byzantinis litteratoribus a prisco et genuino sensu saepe distortum atque deflexum esse ostendit. Apud Suidam igitur cum Pindaro itidem ut Simonidi tragoediae tribuantur, nil quidquam probabilius esse, quam eo vocabulo non novi aliquid, verum θρήνους, notissimum poesis lyricae genus, significari. *Godofredus* deinde *Hermannus* in commentatione supra indicata, qua Boeckhii inventum ut ᾠὸν ανευιαῖον explodere studet, Opusc. VII, p. 213, Suidam ut hominem fatuum et sensu critico destitutum carpit, qui copiis optimis imperitissime usus sit. Haec qui, ut par est, secum reputet, is *haud facile*, inquit, *adducetur, ut tali auctore tragoedias putet Pindaro adscribendas esse easque adeo, quom tamen* δράματα *dicantur, lyricas.* Suidae δράματα neque novi quidquam neque ignoti significare; immo esse notissimos, quos modo Suidas falso nomine nuncupaverit, dithyrambos (p. 214). *Leutschius* in commentatione optimae frugis plena de Pindari vitarum fontibus, in Philologo XI, 18, in articulo Suidae Pindarico gravem quandam seu perturbationem seu corruptelam grassatam esse censet, quae nunc non iam in integrum restitui possit. *Bernhardyus* in Historia litt. Graec. II, 1 (1867), p. 720 extr. nil sibi in promptu esse dicit, quo dramata illa tragica qualia fuerint, explicari possit. Hunc in modum viri, quorum nomina decora sunt philologiae, edixerunt.

Diversa longe ratione hunc locum aggressus est *Theodorus Bergk*, Poet. Lyr. Gr. I⁴ p. 367. Is de Suidae articulo Pindarico, inprimis de operum ibi Pindaricorum indice tam circumspecte tantoque acumine disseruit, ut vere dici possit, eius demum opera totam illam quaestionem in certo fundamento collocatam esse, Suidae fide et indicis apud Suidam integritate argumentis invictissimis extra omnem dubitationem posita. Huius igitur viri praestantissimo acumini debetur, ut subsidiis diu immerito suspectis et repudiatis maior nunc fides haberi et tota quaestio non sine spe in disceptationem denuo vocari possit. Sed quo lubentius ad huius viri, de hac re optime meriti, praeconium accingimur, tanto maiorem mirationem facit, quod ipse tam egregiae disputationis fructibus uti noluit. Immo Bergkius quoque in Hist. litt. Graec. II, 291 lin. 16 eodem, quo superiores illi eruditi, si fas est dicere, supercilio lyricam tragoediam ex Graecarum litterarum orbe relegatam et exclusam volt. Iam igitur Sisyphi saxum sursum rursus volvendum est et de Pindari apud Suidam carminibus dramaticis tragicis quaerendum, ut qualia illa fuerint enucleare possimus. Qua in re Bergkium potissumum ducem sequemur. Poscit autem res, ut totam materiam denuo excutiamus, quoniam in quibusdam argumentationis subtilitatibus a Bergkio discedendum putavimus.

7. De duobus Pindari operum indicibus apud Suidam et in cod. Rhedigerano. Quibus de causis, speciosioribus sane, quam verioribus, Suidae indicem Boeckhius recentiorem iudicaverit.

Pindari operum duo ad nos pervenerunt indices antiqui, alter apud Suidam servatus, quem ex parte saltem expressit auctor vitae Pindaricae versibus hexametris conscriptae (in Westermanni biogr. p. 94 et Ludwich, Mus. Rhen. vol. 34, 362), alter in vita codicis Vratislaviensis Rhedigerani (p. 98 Westerm.). Eorum indicum ratio diversa est, quamquam in utroque voluminum in universum, in quae Pindari carmina distribuuntur, summa sibi constat, nam XVII volumina seu libri numerantur. In Suidae indice plura carminum genera distinguuntur, nullum genus in plures libros dividitur; in altero pauciora genera numerantur, verum aliquot genera compluribus libris constant, ut facile appareat, carminum genera in Suidae indice subtilius distincta, in codicis Rhedigerani indice complura genera secundum legem quandam cognationis sub idem nomen coniuncta esse. Conspectus igitur amborum indicum hic est: Suidas ἔγραψε inquit βιβλίοις ιζ΄ . . . ταῦτα· Ὀλυμπιονίκας (1), Πυθιονίκας (2), [Νεμεονίκας (3), Ἰσθμιονίκας (4),] προσόδια (5), παρθένια (6), ἐνθρονισμούς (7), Βακχικά (8), δαφνηφορικά (9), παιᾶνας (10), ὑπορχήματα (11), ὕμνους (12), διθυράμβους (13), σκολιά (14), ἐγκώμια (15), θρήνους (16), δράματα τραγικά (17). In vita codicis Rhedigerani haec leguntur: Γέγραφε βιβλία ἑπτακαίδεκα· ὕμνους (1), παιᾶνας (2), διθυράμβων β΄ (3), προσοδίων β΄ (4), παρθενίων β΄, φέρεται δὲ καὶ γ΄, ὃ ἐπιγέγραπται κεχωρισμένων παρθενίων (5) [ita ex Boeckhii Pind. fragm. p. 555 emendatione], ὑπορχημάτων β΄ (6), ἐγκώμια (7), θρήνους (8), ἐπινίκων δ΄ (9). conf. Boeckh, Pind. fr. p. 555; Bergk, Poet. Lyr. I^4, 367. Omittuntur igitur in indice Vratislaviensi quinque generum nomina ἐνθρονισμοί, Βακχικά, δαφνηφορικά, σκολιά, δράματα τραγικά.

Ac Boeckhius quidem Suidae indicem, in quo diligentius curiosiusque genera distinguuntur, recentiorem iudicat, quoniam hoc recentiorum demum temporum fuerit, lyricas carminum formas accuratius discriminare, et quod posterioris aetatis eruditi in istis minutiis multum operae posuerint. cf. Boeckh, Praef. Schol. Pind. p. XI. Documento est Apollonius, cui ab hoc studiorum genere cognomen inditum est ὁ εἰδογράφος. Etym. magn. p. 295, 51 s. v. εἰδογράφος· Ἀπολλώνιος· ἐπειδὴ εὐφυὴς ὢν ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ τὰ εἴδη τοῖς εἴδεσιν ἐπένειμεν. τὰς γὰρ δοκούσας τῶν ᾠδῶν Δώριον μέλος ἔχειν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνῆγε, καὶ Φρυγίας καὶ Λυδίας, μιξολυδιστὶ καὶ ἰαστί. de quo loco cf. Bernhardy, hist. litt. gr. II, 1 (1867), p. 622 et 720. Quanta saepe contentio de carminum Pindaricorum genere exarserit, lis de Pythio carmine altero ostendit, de qua enarrat Schol. Pind. p. 312 init. διεστασίασται γὰρ οὐ μετρίως τοῖς πρὸ ἡμῶν. οἱ μὲν γὰρ οὐδὲ ὅλως ἐπίνικον αὐτὸν εἶναί φασι, Τίμαιος δὲ θυσιατήριον, Καλλίμαχος δὲ Νεμεακόν, Ἀμμώνιος δὲ καὶ Καλλίστρατος Ὀλυμπιακόν, ἔνιοι δὲ Πυθικόν, ὡς Ἀπολλώνιος ὁ εἰδογράφος, ἔνιοι δὲ Παναθηναϊκόν. His rationibus adductus Boeckhius codicis Vratislaviensis indicem antiquorem iudicat, Suidae recentiorem.

8. De Aristophanis Byzantii Pindari operum recensione. Codicis Rhedigerani indicem rectene Boeckhius Aristophanis editioni adsignet.

Iam vero 'antiquiorem' ordinem recensioni alicui Pindaricorum carminum celeberrimae proprium fuisse, inde apparet, quod hic index additis librorum numeris distinctus a posterioris aevi grammaticis constanter usurpatur, qui praeter carminum genera numeros etiam librorum adponant. Fuit autem una praeter ceteras clara, ea quam Aristophanes Byzantius curaverat; vita Thomae Magistri, Westerm. Biogr. p. 101: ὁ δὲ ἐπινίκιος, οὗ ἡ ἀρχή, ἄριστον μὲν ὕδωρ, προτέτακται ὑπ' Ἀριστοφάνους τοῦ συντάξαντος τὰ Πινδαρικά. cf. Boeckh., praef. Pind. Sch. p. X. et Dionys. Hal. de comp. verb. 22 p. 78 Tauchnitz: κῶλα δέ με δέξαι νυνὶ λέγειν, οὐχ οἷς Ἀριστοφάνης, ἢ τῶν ἄλλων τις μετρικῶν διεκόσμησε τὰς ᾠδάς· ἀλλ' οἷς ἡ φύσις ἀξιοῖ διαιρεῖν τὸν λόγον. cf. Ar. Byz. fr. ed. Nauck p. 61. Alterum quoque illud, quod posuit Boeckhius, posterioris aetatis grammaticis indicem illum et recensionem, quae librorum numeris instructa erat, consuetam fuisse, facile exemplis firmari potest. Sch. Pind. p. 271 med. Πίνδαρος...ἐν Νάξῳ φησὶν εὑρεθῆναι πρῶτον διθύραμβον, ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν Διθυράμβων ἐν Θήβαις cf. Boeckh, Pind. fr. p. 574. Deinde Et. magn. p. 460, 39 θωράξομαι· εὐωχηθήσομαι ἢ μεθυσθήσομαι. καὶ Πίνδαρος Διθυράμβων πρώτῳ, cf. Boeckh l. s. De Partheniorum libro priore Sch. Arist. Ach. 720 ἀγοράζειν ... ἀττικῶς· ὅθεν καὶ ἡ Κόριννα ἐπιτιμᾷ Πινδάρῳ ἀττικίζοντι (ita verba emendavit Geelius, conf. Bergk, Poet. Lyr. I[4], 408), ἐπεὶ καὶ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Παρθενίων ἐχρήσατο τῇ λέξει. Ex Partheniorum libro tertio, cui titulus erat: τὰ κεχωρισμένα τῶν Παρθενίων, locum affert Schol. Theocr. 2, 10 Πίνδαρός φησιν ἐν τοῖς κεχωρισμένοις τῶν Παρθενίων, ὅτι τῶν ἐραστῶν οἱ μὲν ἄνδρες εὔχονται παρεῖναι Ἥλιον, αἱ δὲ γυναῖκες Σελήνην, cf Boeckh, Pind. fr. p. 594 et Bergk, l. s. 408. Cum igitur primum constet, Aristophanis editionem satis fuisse celebrem, deinde consentaneum sit credere, grammaticos illos non ignobili aliquo, sed inlustri et claro exemplari usos esse, necessario sequitur, exemplar illud, in quo librorum numeri adscripti erant, ex Aristophanis recensione prodiisse. Illud quoque Boeckhius Pind. fr. p. 555 extr. tetigit, cuinam ex claris grammaticis altera illa, cui Suidae index praefixus erat, editio tribuenda fortasse videatur. Aristarchum eum fuisse suspicatur, qui in Pindaro recensendo haudquaquam eadem atque in Homero auctoritate floruerit. Leutschius in commentatione de vitarum Pindari fontibus in Philologo XI, 19 cum Boeckhio ita consentit, ut, quod caput est Boeckhianae sententiae, de temporum ratione, quae inter illos indices intercedat, idem sentiat, eum qui pauciora genera habet, vetustiorem, qui plura habet, recentiorem esse. Sed auctores indicum alios esse volt. Vetustiorem illum indicem Callimacho tribuendum esse, cuius studiis pinacographicis optime conveniant illi librorum numeri generibus carminum adscripti. Recentiorem indicem Aristophani convenire.

9. Quaenam res indubitato documento sit, indicem apud Suidam Aristophaneo vetustiorem esse.

Confitendum est, Boeckhii argumentationem magnam veri speciem habere. Tamen a Bergkio Poet. Lyr. I⁴, 667 rectissimo iudicio impugnata est; quamquam non omnia negavit Bergkius, sed ἕτερον μὲν ἔδωκε, ἕτερον δ' ἀνένευσεν. Aristophanis enim illam editionem fuisse, quae numeros librorum adscriptos ostendit, illis argumentis, quibus Boeckhius rem firmavit, obsecutus Bergkius concedit. Sed alterum, quod gravius est, longe secus se habere docuit: index apud Suidam, qui plura genera habet, Bergkio iudice vetustior est; Aristophanis ille index cum paucioribus generibus recentior. Bergkius ad hoc demonstrandum satis artificiosa argumentatione utitur, quae num omnibus eruditis illa, quae volt, probatura sit, dubitari potest. Verum unum ex illis argumentis, quod in transcursu Bergkius attigit, tale mihi videtur, ut si seorsum ponatur et recte ab omni parte illustretur, rem plane conficere debeat. In Aristophanis indice, qui genera pauciora cum numeris librorum adscriptis habet, carminum illa novem genera non temere vel, ut in indice apud Suidam, secundum favorem lectorum disposita sunt, sed ad norman quandam artis, de qua Proclus Chrestomathia, Westph. Scr. Metr. p. 243 exposuit. Distinguuntur apud Proclum tres omnino carminum lyricorum classes diversae: prima continet carmina in deos, altera in homines, tertia in ambos simul, deos et homines. In prima classe Proclus haec numerat: ὕμνον, προσόδιον, παιᾶνα, διθύραμβον, ἰόβακχον, ὑπορχήματα. In altera: ἐγκώμια, ἐπινίκια, σκολιά, θρήνους. In tertia: παρθενεῖα, δαφνηφορικά.

Aristophanes Pindari carmina ita disposuit, ut eiusdem classis genera deinceps poneret, classes vero ipsas ita ordinaret, ut carmina in deos primo, carmina in deos et homines secundo, carmina in homines tertio loco poneret. Unum tantum exemplum huic legi repugnare videtur, hyporchemata, quae Proclus carminibus in deos adnumerat, Aristophanes carminibus in deos et homines. Sed iam supra expositum est, Pindarum hyporchemata a prisca sublimitate deflexisse et hominum rebus accommodasse; cf. Bergk, Poet. Lyr. I⁴, 370 extr. Hic carminum lyricorum ordo, quem Aristophanes non excogitavit, sed traditum invenit, tam aptus et simplex est, ut mirum non sit, eum, quod ex Proclo constat, eruditorum plausum tulisse. Iam vero apertum videtur, quid inde de indicis apud Suidam aetate sequatur, qui maiore generum copia excellit, sed dispositionis praestantia longe inferior est. Minime, opinor, credibile videbitur, criticum aliquem, qui, quom indicis Aristophanei notitia imbutus esset, Pindari denuo edendi consilium agitaret, hoc admissurum fuisse, ut ordinem ab Aristophane institutum disiceret et in corporis bene dispositi locum farraginem sine certa lege ad arbitrium vel ad lectorum qualecunque de praestantia carminum iudicium compositam substitueret.

10. Quinque carminum genera a Suida separatim allata, Aristophanes sublatis eorum nominibus cum aliis copulavit. Δαφνηφορικά ubi lateant.

Sed Suidae index licet minus bene dispositus sit, hac tamen re eximius est, quod carminum genera copiosius enumerantur, qua quidem re de poesis Pindaricae varietate luculentius edocemur. Editionem illam, cui Suidae index adhaerebat, haud paullo quam Aristophanis antiquiorem esse et ab Atticis eruditis curatam optime Bergkius docuit. Hac editione Chamaeleon, Aristoxenus, alii usi sunt, quod inde clarissime cognoscitur, quod a scriptoribus Aristophanis aetate vetustioribus *scolia* Pindarica adferuntur, quibus in Suidae indice locus seorsum adsignatus est, cum in Aristophanis indice iam non campareant. Athenaeus 13 p. 573, F ex Chamaeleonte Πίνδαρός τε τὸ μὲν πρῶτον ἔγραψεν εἰς αὐτὸν (i. e. Ξενοφῶντα) ἐγκώμιον, ... ὕστερον δὲ καὶ σκόλιον. Aristoxenus ap. Athen. 14, p. 635, B διόπερ καὶ Πίνδαρον εἰρηκέναι ἐν τῷ πρὸς Ἱέρωνα σκολίῳ τὴν μάγαδιν ὀνομάσαντα ψαλμὸν ἀντίφθογγον.

Iam ad gravissimam propositi nostri nunc partem accedendum est. Aristophanes copiam nominum de poesis lyricae generibus usurpatorum coercuit, cognata coniunxit. Nunc cognitu dignissumum est, illa quinque genera, quibus abundat Suidas, quibus generibus ab Aristophane attributa sint. Nam dramata quoque tragica apud Suidam in Aristophanis indice ita haud dubie delitescunt, ut cum cognato ibi aliquo genere coniuncta sint. Ex quinque apud Suidam generibus, quibus nomina sunt: ἐνθρονισμοί, Βακχικά, δαφνηφορικά, σκολιά, δράματα τραγικά, primum ubi lateant δαφνηφορικά planissumum est. Haud dubie in altero Partheniorum libro. Daphnephoria dies festus Thebanorum est, quo novae lauri virgae Apollini Ismenio obferuntur. Pompam ducit Apollinis sacerdos, puer ἀμφιθαλής; carmen daphnephoricum canit virginum chorus sacerdotem sequentium. Proclus, Chrestom. p. 248 ἄρχει δὲ τῆς δαφνηφορίας παῖς ἀμφιθαλής ... ᾧ χορὸς παρθένων ἐπακολουθεῖ προτείνων κλῶνας πρὸς ἱκετηρίαν τῶν ὕμνων [quibus de verbis conf. Bernhardy, Hist. litt. gr. II, 1 (1867), p. 639]. παρέπεμπον δὲ τὴν δαφνηφορίαν εἰς Ἀπόλλωνος Ἰσμηνίου καὶ Γαλαξίου. Paus. 9, 10, 4 τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Ἰσμηνίῳ παῖδα οἴκου ... δοκίμου ... ἱερέα ἐνιαύσιον ποιοῦσιν. Hoc sacerdotium Pindari quoque filius Daiphantus gessit, cui pater daphnephoricum carmen composuit; cf. vitam Pindari Vratisl. apud Westerm. biogr. p. 98, 41 ἔσχεν υἱὸν Δαΐφαντον, ᾧ καὶ δαφνηφορικὸν ᾆσμα ἔγραψεν.

11. Ἐνθρονισμούς, Σκολιά, Βακχικά, quae sunt apud Suidam, quibus generibus Aristophanes aucto librorum numero attribuerit.

Deinde ἐνθρονισμοὺς Suidas habet, qui titulus in Aristophanis indice non redit. Vox paullo ignotior. Inter Orphei, Oeagri fili, scripta Suidas memorat: θρονισμοὺς μητρῴους καὶ βακχικά. ταῦτα Νικίου τοῦ Ἐλεάτου φασὶν εἶναι. Boeckhius Pind. fr. p. 556 med.

ἐνθρονισμοὺς ab Aristophane cum προσοδίοις coniunctos censet; Bergkius p. 371 partim Partheniis, partim Hyporchematum libris aliisve additos suspicatur. Mihi ἐνθρονισμοί, in quibus haud dubie saepe virginum chori cantabant, ex parte Partheniis, tertio potissumum libro, ab Aristophane adiecti videntur, ex parte paeanibus vel hymnis. Σκολιὰ in vetustiore Suidae indice Aristophanes ex parte cum Encomiis coniunxerat, cum ἐγκωμίου vox, a κῶμος vocabulo ducta, prisco sensu convivalia carmina significaret. Chamaeleon sane in libro de Pindaro, ἐν τῷ περὶ Πινδάρου, encomium a scolio distinxit, Athen. 13, 573, F ἔγραψεν εἰς αὐτὸν ἐγκώμιον ..., ὕστερον δὲ καὶ σκολιόν. Sed hoc loco encomium apertissume carmen epinicium (Pind. Ol. XIII. in Xenophontem) significat, quoniam epinicium quoque ἐν κώμῳ canitur. Reliquam scoliorum partem, — nam omnia ne cum encomiis coniuncta credamus, vetat liber encomiorum singularis tantum, nec duplicatus —, cum hyporchematum genere ab Aristophane coniunctam crediderim, quoniam hyporchematum severitatem Pindarus ipse paullulum emolliverat. Βακχικὰ apud Suidam, quae apud Aristophanem desiderantur, Boeckhius p. 556 Ἰοβάκχους esse suspicatur et ab Aristophane in alterum Dithyramborum librum recepta. Bergkius p. 371 nomen illud apud Suidam Ἰοβακχικὰ fuisse conicit atque id genus non dithyrambis, sed Prosodiorum libro altero comprehensum volt. Sed in hac Bergki sententia repugnantia quaedam inest. Nam Ἰόβακχοι cantiones sunt hominum iam admodum madentium et perstrepentium, vel talium saltem personas sustinentium; Proclus, Chrest. p. 246 Westph. ᾔδετο δὲ ὁ Ἰόβακχος ἐν ἑορταῖς καὶ θυσίαις Διονύσου, βεβαπτισμένος πολλῷ φρυάγματι. Haec Prosodiis, ut nomen ipsum ostendit, non conveniunt. Mihi Ἰόβακχοι omnino a Pindari poesi alieni videntur. Βακχικά quae sunt apud Suidam carmina in pompis Bacchicis cantata videntur, qualis illa est, quam Pausanias 2, 7, 5 Sicyone quotannis agi tradit: ταῦτα (τὰ ἀγάλματα) μιᾷ καθ' ἕκαστον ἔτος νυκτὶ ἐς τὸ Διονύσιον ἐκ τοῦ καλουμένου Κοσμητηρίου κομίζουσιν. Talia vero carmina admodum verisimile est Aristophanem Prosodiorum libro altero attribuisse.

12. Symmetriam, quae inter ambos indices intercedat, spondere pro utriusque integritate. Suidam servato dramatum tragicorum titulo optime de litteris meruisse.

Postremo iam quaeritur, — unde exorta est et quo nunc redit quaestio nostra —, δράματα τραγικὰ apud Suidam cuinam generi attribuerit Aristophanes. Boeckhius in hyporchematum libro altero ea latere opinatur; Bergkius altero dithyramborum libro comprehendi censet. De hac re ut certius iudicium fieri possit, iam retro oculi paullisper vertendi sunt et recordandum, unde alteri illi et tertius etiam libri, qui in compluribus indicis Aristophanei titulis comparent, orti sint. Aristophanis negotium facile uno conspectu comprehendi poterit. Aristophanes cum vetustior index quinque titulis auctior esset, ad hos recipiendos quinque libros addidit his numeris signatos: dithyramborum II, prosodiorum II, partheniorum II et III, hyporchematum II. Titulorum, qui sunt apud

Suidam, quattuor hunc in modum distributos supra invenimus: δαφνηφορικά Partheniorum libro II; ἐνθρονισμούς Partheniorum l. III et Paeanibus; σκολιά Encomiis et Hyporchematum l. II; Βακχικά Prosodiorum l. II. Relinquitur in Suidae indice titulus δραμάτων τραγικῶν; item apud Aristophanem in dithyramborum genere liber alter. Quid igitur apertius, quam hos duos titulos nomine diversos esse, re eosdem? Adiectivum τραγικά cognationem cum sacris Bacchicis et dithyrambis luculenter ostendit. Iam si quaeramus, quid hac nostra disputatione effectum sit, satis, opinor, tuto dici poterit, titulum Pindaricum, qui est apud Suidam, δραμάτων τραγικῶν nullo modo pro corrupto vel spurio haberi posse. Suidae index, qui ex optimo fonte, fortasse *ex Chamaeleontis de Pindaro tractatu*, sumptus est, neque neclegentiam sapit, neque confusionem, sed studium ostendit lyricae poesis diligentissimum. Accedit, quod ipsa iam illa symmetria, quae inter Aristophanis indicem et vetustiorem, cuius sponsor est Suidas, intercedit, δραμάτων τραγικῶν titulum tuetur. Itaque vehementer optandum est, ut tandem aliquando Suidas pro tali testimonio apud eruditos vapulare desinat.

13. Dramata tragica nomen sine re videntur, quom argumentum, quod proprium eis fuerit, inveniri non possit. Duo dithyramborum genera, vernum et hibernum.

Posteaquam igitur ex magno illo litterarum antiquarum naufragio δράματα τραγικὰ feliciter servata sunt, magnopere cavendum est, ne novo impetu rursus nobis eripiantur. Nam imminet eis etiamnunc aliquod periculum. Etenim fides eorum hac re maxume laborat, primum quod per totum litterarum antiquarum orbem nulla eorum carminum definitio extat, deinde quod qualia omnino fuerint, explicari vix posse videtur. Itaque primo adspectu inane nomen sine re lucrati videmur. Atque *Godofredus Bernhardy*, diligentissimus hercle et benevolus talium quaestionum iudex, in Hist. litt. Gr. II, 2 (1872) p. 10 extr., hoc maxume obstare lyricae tragoediae dicit, quod nullum profecto argumentum, quod proprium ei et peculiare sit, indicari possit. Sed si quae supra exposita sunt, recte reputemus, fortasse iam sunt nonnulla, quae ad verum inveniendum propius nos adducant. Primum igitur aliqua iam definitio eo continetur, quod dramata tragica et maxume cognata sunt dithyrambis, quod ex Aristophanis indice apparet, et a dithyrambis rursus diversa, quod Suidae illo indice, in quo ambo diiuncta sunt, probatur. Itaque dramata tragica neque meri sunt dithyrambi, neque nulli.

Habemus igitur — idque confitendum est — primo certe adspectu nomen sine re. Iam vero commodissime in hac quaestione accidit, ut e contrario carminum generis cuiusdam memoria ad nos pervenerit, quod quale sit, optime novimus, sed cuius nomen ignoramus, ut rem sine certo nomine tenere videamur. Sunt enim ad nos propagata carmina neque rara neque ignobilia, quae dithyramborum plerumque nomine appellantur, quae tamen ipsa re diversa a dithyrambis sunt et nomen quoque peculiare sibi poscere videntur.

Notum est, dithyrambum rem Bacchicam et Bacchicis sacris propriam, vetustissimis iam temporibus a Bacchi fatis canendis ad heroum fata deflexisse. Huius rei usus cum semel admissus esset, mox latissime patuit et altas in dithyrambo radices egit. Nam prisco tempore cum duo essent dithyramborum genera, vernum genus et hibernum, is mos fuit, ut dithyrambi in vernis Bacchi sacris cantati, a fabulis heroicis immunes manerent. Verna enim sacra hilaria sunt; in eis Bacchi ortus et adventus celebrantur, neque locus est lugubribus heroum fatis; Plato argumenta indicat Legg. III p. 700 καὶ ἄλλο (εἶδος) Διονύσου γένεσις, οἶμαι, διθύραμβος λεγόμενος, conf. Menandrum de Encomiis 7 in Rhet. Gr. ed. Spengel III, 340, 14.

Contra in hibernis Bacchi sacris dei fata lugubria et passiones celebrabantur. In eorum sacrorum cantibus vetusto tempore heroum fabulis locus concessus est, quae poetarum favore eximie excultae sunt. De hoc vernorum et hibernorum dithyramborum discrimine conf. optime disputantes *Mauricium Schmidt*, Diatriba in dithyrambum, Berol. 1845, p. 211; *Dissenium* ad Pind. p. 621. 625; *Witzschelium* in Pauly, Realencyclop. s. v. Tragoedia p. 2041. Hic mos quam late vagatus sit, documento est locus Plutarchi de *Xenocratis Locri* carminibus. Ea carmina ab eruditis nonnullis non paeanes, sed dithyrambi vocabantur propter amplam heroicarum fabularum, quas poeta inmiscuerat, copiam. Plut. de mus. 10 περὶ δὲ Ξενοκρίτου ... ἀμφισβητεῖται, εἰ Παιάνων ποιητὴς γέγονεν. ἡρωικῶν γὰρ ὑποθεσεων πράγματα (pro hoc vocabulo Volkmannus p. 94 δράματα conicit) ἐχουσῶν ποιητὴν γεγονέναι φασὶν αὐτόν. διὸ καί τινας Διθυράμβους καλεῖν αὐτοῦ τὰς ὑποθέσεις.

14. Dithyrambi hiberni heroica argumenta adsumunt sine necessaria Bacchi mentione. Luculentum eius rei exemplum Simonidis est "Memnon".

Nunc paullo accuratius luculenta quaedam huius generis dithyramborum, quibus heroum fata argumentum praebuere, exempla perlustranda et examinanda sunt. Clarissimus est *Simonidis* dithyrambus *Memnon*. Eius memoriam servavit Strabo XV, p. 728 init. ταφῆναι δὲ λέγεται Μέμνων περὶ Πάλτον τῆς Συρίας παρὰ Βάλαιον (Βαδᾶν codd., emendavit Schneidewinus, Philologus I, 41) ποταμόν, ὡς εἴρηκε Σιμωνίδης ἐν Μέμνονι διθυράμβῳ. De fluvio Belaeo sive Balaeo cf. Ioseph., de bello Iudaico 2, 10, 2 ὁ καλούμενος Βήλαιος ποταμὸς παραρεῖ παντάπασιν ὀλίγος, παρ' ᾧ τὸ Μέμνονος μνημεῖον ἔστιν. [Aristoteles] in Peplo epigr. 55 ed. Bergk Lyr. p. 353 Μέμνων Τιθωνοῦ τε καὶ Ἠοῦς ἐνθάδε κεῖμαι || ἐν Συρίῃ, Βήλου παρ ποταμοῦ προχοαῖς. Mauricius Schmidt, qui in "diatriba" peculiari capite p. 131 de Simonidis Memnone egit, in ea sententia est, non quaslibet fabulas heroicas in dithyrambos admissas esse, sed eas tantummodo, quibus cum Bacchi fabulis necessitudo intercederet et in quibus Bacchi laus et gloria, denique potentiae eius documentum aliquod inesset. Censet igitur vir praestantissimus, fabulae in Memnone hanc formam fuisse, ut Bacchus fatorum infelicium Memnoni auctor fuerit. Eius rei vestigia apud Servium adgnoscit ad Aeneid. 1, 489 *Tithonus, frater Laomedontis, raptus ab Aurora filium suum Me-*

mnonem ex ipsa progenitum, [inlectus dono vitis aureae Priamo] ad Troiae misit auxilia. [qui congressus cum Achille ab eo est interemptus].

In hac narrandi forma aperte ad Bacchum Memnonis fata revocari Schmidtius p. 132 censet: *Non immerito sane ipse Bacchus Memnoni mortem struxisse fingi potuit.* Hunc in modum Schmidtius ubique per librum suum eximia doctrina tenuissima illa fila eruere studet, quibus argumenta heroica cum Bacchi fabulis coniuncta fuerint. Sed tali diligentia — quod viri eruditissimi pace dixerim — opus omnino non est: nam, id quod postea luculentius demonstrabitur, totum hoc Bacchicorum carminum genus Dorienses Sicyonii consulto et re diligenter perpensa a Bacchi fatis et morte, nimis sane lugubribus, ad heroum strenue dimicantium fata traduxerunt, qua de re locus praestantissimus est apud Herodotum 5, 67. Eum sane locum mirifica plane et minime probabili ratione Schmidtius, Diatr. p. 185 sq., praeeunte *Lobeckio*, Agl. p. 617 lin. 5, quem praeiudicatae de morte Zagrei opinionis tenacitas decepit, explicuit et in suam partem trahere studuit. Simonides igitur in Memnone dithyrambo Memnonis res gestas et mortem ita persecutus est, ut aut nullam aut levem tantum in transcursu Bacchi mentionem faceret.

15. Simonides quod tragoediam scripsisse dicitur, de Memnone intellegendum. Tragoediae nomen magis magisque haesit in carminibus argumenti heroici.

Sed cum hac de Simonidis Memnone quaestione alia quoque res cognitu dignissima coniuncta est, quae toti huic poesis generi lucis aliquid adferre possit, quamque minume silentio praeterire decet. Simonides igitur teste Suida *tragoedias* vel *tragoediam* scripsisse traditur. Suidas haec eius opera enumerat: γέγραπται αὐτῷ ... Ξέρξου ναυμαχία ... δι' ελεγείας, η δ' ἐν Σαλαμῖνι μελικῶς, θρῆνοι, ἐγκώμια, ἐπιγράμματα, παιᾶνες καὶ τραγῳδίαι. cod. Paris. A τραγῳδία. Ac singularem tuentur scholia quoque in Aristoph. ed. Bekker (Londini, 1829) ad Vesp. 1411. Godofr. Hermannus Opusc. VII, 214 Simonidem unam tragoediam eamque non lyricam, sed Atticarum tragoediarum more saenae destinatam composuisse arbitratur, licet nunquam in scaenam eam productam esse probabile sit. Quidni enim talis poeta, tam versatili ingenio praeditus, tragoediam quoque scripserit? Verum rectius, opinor, longe *Schneidewinus*, Simonidis fragm. p. 52, praeeunte *Boeckhio*, Staatshaushalt. ed. 1 (1817) vol. II, 362, de ipso Simonidis Memnone cogitavit, qui licet a Strabone dithyrambus appelletur, non minus bene tragoedia vocari potuerit.

Schneidewinum suo iure ita statuisse, inde adparet, quod voces τραγικὸς τρόπος et χοροὶ τραγικοὶ haud dubie de carminibus lyricis eo iam tempore usurpantur, quo de tragoedia, qualis quidem fuit Attica, cum apparatu dialogorum et histrionum, ne cogitari quidem posset. Suid. s. v. Ἀρίων ... λέγεται καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρετὴς γενέσθαι. Herod. 5, 67 τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον. Diog. Laert. III §. 56 τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν. Aristoteles notissimo loco Poet. 3 Peloponnesiorum nonnullos origines tragoediae sibi vindicasse nar-

rat: ἀντιποιοῦνται ... τῆς τραγῳδίας ἔνιοι τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, ποιούμενοι τὰ ὀνόματα σημεῖον. Id fecerunt eo titulo freti, quod carminum lyricorum apud eos genus quoddam antiquitus extitit "tragoediae" nomine nuncupatum. Id vero genus ubi tandem terrarum latere potest, nisi in illis carminibus, quibus a choris Dionysiacis tragicis heroum fortiter et strenue adversus fortunae tela dimicantium fata canebantur? Apparet igitur in Simonidis dithyrambum Memnonem tragoediae appellationem optimo iure cadere. Simonides num plures tragoedias, an hanc solam "Memnonem" scripserit, propter lectionis incertam fidem diiudicari nequit.

16. De Praxillae "Achille". Rectene dicatur, eas tantummodo fabulas heroicas in dithyrambos admissas esse, quibus cum Bacchi fabulis necessitudo intercederet.

Verum ne omnis argumentatio nostra uno Simonidis Memnone niti videatur, aliorum quoque poetarum nunc dithyrambi perlustrandi sunt, quorum ex fabulis heroicis argumentum petitum est. *Praxillae* dithyrambum, cui Ἀχιλλεύς titulus fuit, Hephaestio memorat Enchirid. ed. Westphal, Lips. 1866 p. 11, 16 παρὰ Πραξίλλῃ ἐν διθυράμβοις ἐν ᾠδῇ ἐπιγραφομένῃ Ἀχιλλεύς· Ἀλλὰ τεὸν οὔ ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον. M. Schmidtius in Diatriba p. 212, quod in dithyrambo fatis *Achillis* locus concessus sit, ea re niti arbitratur, quod Achillis cineres in aureo illo cratere conditi fuerint, quem Bacchus olim Thetidi, Thetis filio donavisset, qua de re Stesichorus quoque narraverat. Schol. Iliad. ψ, 92 Διόνυσος ... διωχθεὶς ... καταφυγὼν εἰς θάλασσαν, φιλοφρόνως αὐτὸν ὑποδεξαμένης Θέτιδος, ἔδωκεν αὐτῇ τὸν ἡφαιστότευκτον ἀμφορέα. ἡ δὲ τῷ παιδὶ ἐχαρίσατο, ὅπως μετὰ θάνατον ἐν αὐτῷ αὐτοῦ ἀποτεθῇ τὰ ὀστᾶ. ἱστορεῖ Στησίχορος. Eodem spectare Lycophr. Alexandra 273 κρατῆρα Βάκχου δύσεται κεκλαυσμένος || νύμφαισιν, αἳ φίλαντο Βηφύρου γάνος || Λειβηθρίαν θ'. Itaque non tam Achillis mortem, quam sepulturam potius a Praxilla narratam esse.

Sed licet haec speciosissime et subtilissime excogitata sint, tamen non adducor, ut credam, eis solis heroicarum fabularum argumentis aditum ad dithyrambos patuisse, quibus aliqua cum Bacchi ipsius rebus gestis et fabulis necessitudo intercederet. Schmidtii super his rebus luxuriantes sane paullulum coniecturas severe redarguit *Evaldus Scheibel* in elegantissimo libello scholastico: de Dithyramborum Graecorum argumentis (Liegnitz, 1862) pag. XVI. Mihi Schmidtius vituperandus non videtur; nam licet eius opinionem ne ipse quidem probem, tamen recte fecit, quod experimentum illud, quod necessario ab eruditorum aliquo subeundum fuit, strenue et egregiis doctrinae copiis munitus peregit. Praxillae igitur Achillem eiusdem carminum generis exemplum fuisse arbitror, cui Simonidis Memnonem adscribendum vidimus, quod cognatum quidem cum dithyrambis, sed minime idem atque illi esset. Hoc quoque exemplo apertum, opinor, fit, quo tandem titulus, de quo supra disputavimus δραμάτων τραγικῶν in Suidae indice spectet. Eum Aristophanes Byzantius dithyrambis adiunxit. Vetustior ille Pindaricae poesis existimator, qui Suidae indicem fecit, a dithyrambis separavit. Itaque huius generis carmina

neque meri dithyrambi sunt, neque nulli. Plane idem cadit in ea, quae modo consideravimus, carmina, quorum argumentum heroicum est, sed forma, apparatus, habitus quo publice canuntur, Bacchi religionem sapiunt.

17. De Melanippidis "Danaidibus". De Cleomenis "Meleagro". De Timotheo Milesio Euripidis amico iuvenili.

Sed pergendum nunc est in eorum carminum reliquiis perlustrandis. *Melanippides* quoque *Melius* haud dubie, qui sub Perdicca II rege floruit (διατρίψας παρὰ Περδίκκᾳ τῷ βασιλεῖ ἐκεῖ τὸν βίον κατέστρεψεν Suidas), dithyrambos cum argumentis heroicis composuit. In dithyrambis omnino palmam ei tribuit Xenophon, Memorab. 1, 4, 3 ἐπὶ ... ἐπῶν ποιήσει Ὅμηρον ἔγωγε μάλιστα τεθαύμακα, ἐπὶ δὲ διθυράμβῳ Μελανιππίδην, ἐπὶ δὲ τραγῳδίᾳ Σοφοκλέα. Melanippidis carminis, cui Δαναΐδες titulus fuit, luculentum fragmentum servatum est apud Athenaeum 14, p. 651, F (Bergk, Lyr. [4] p. 589): Μελανιππίδης δ' ὁ Μήλιος ἐν ταῖς Δαναΐσι φοίνικας τὸν καρπὸν οὕτως ὀνομάζει, τὸν λόγον ποιούμενος περὶ αὐτῶν τῶν Δαναΐδων. Fragmento ipso puellarum, ut viraginum, mores haud sane muliebres describuntur: ἀλλ' ἐν ἁρμάτεσσι διφρούχοις ἐγυμνάζοντ' ἂν εὖ, || δι' ἄλσεα πολλάκι θήραισιν φρένα τερπόμεναι. Hoc carmen dithyrambum fuisse, licet non diserte ab Athenaeo traditum sit, tamen iam ex quinquaginta puellarum numero, qui quinquaginta choreutis respondeat, recte Schmidtius p. 217 et 79 collegit. Idem bene monuit, chorum habitu et ornatu Danaidum ad canendum prodiisse. Danaides dithyrambum fuisse, Schmidtio adsentiuntur Hartungius in Philologo I, 404 init. et Scheibel, de dith. argum. p. XVI extr. Deinde certa satis memoria est dithyrambi a *Cleomene Rhegino* compositi, cuius titulus "*Meleager*" argumentum heroicum indicat. Cleomenem ut unum ex artis musicae corruptoribus cum Cinesia et Philoxeno Aristophanes perstrinxerat, Schol. Ar. Nub. 333: αἰνίττεται εἰς τοὺς περὶ Κινησίαν καὶ Φιλόξενον καὶ Κλεομένη ... τῶν δὲ κυκλίων χορῶν ἦσαν οὗτοι διδάσκαλοι, ᾀσματοκάμπτας δὲ, ὅτι ... καμπάς ἔχουσι πλείονας. Cleomenes in "Meleagro" dithyrambo aprum Calydonium albo colore fuisse, tradiderat; Athenaeus 9, 402 A: πάλαι γὰρ τυγχάνω ἀνεγνωκὼς τοὺς Κλεομένους τοῦ Ῥηγίνου διθυράμβους, ὧν ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Μελεάγρῳ τοῦτο ἱστόρηται. cf. Schmidtium p. 212; Scheibelium p. XVI. Iam ad *Timotheum Milesium* nos convertamus, audacissimum in re musica novi itineris antesignanum. Notum est, Euripidi eum amicitia coniunctissum fuisse. Pulchra est historiola, tragicum senem interdum iuvenem in arte sua novicium, cum initio exploderetur, consolari solitum esse. Plutarchus, an seni sit gerenda resp. 23 extr. οὕτω δὲ καὶ Τιμόθεον Εὐριπίδης συριττόμενον ἐπὶ τῇ καινοτομίᾳ, καὶ παρανομεῖν εἰς τὴν μουσικὴν δοκοῦντα, θαρρεῖν ἐκέλευσεν, ὡς ὀλίγου χρόνου τῶν θεάτρων ὑπ' αὐτῷ γενησομένων. Timotheus rursus ab nonnullis pro elegantissimi in Euripidem epitaphii auctore habitus est, quod in vita Euripidis in codice Ambrosiano (Westermann, Biogr. p. 135) traditum est, quod alii rursus fuerunt, qui Thucydidi historico tribuerent. Timotheum igitur dithyrambos scripsisse e Suida notissimum est, qui haec habet: ἐτελεύτησεν ... γράψας δι' ἐπῶν

Νόμους μουσικοὺς ιθ', προοίμια λς', Ἄρτεμιν, διασκευὰς η', ἐγκώμια, Πέρσας ἢ Ναύπλιον, Φινείδας, Λαέρτην, διθυράμβους ιη', ὕμνους κα' καὶ ἄλλα τινά.

18. De Timothei "Nioba". — Egregiam rerum in exitu Niobae adumbrationem num recte Hermannus Timotheum ab Aeschylo mutuatum esse statuerit.

Ex titulis carminum, qui adferuntur, nonnulli dithyrambis certo adsignandi videntur. Lucianus in Harmonida cap. 1 med. "*Aiacem furentem*" carmen a Timotheo compositum novit, quo carmine Atheniensium tribus Pandionis in ludis Dionysiacis certaverit. Tibiis in hoc certamine cecinerat Timotheus Thebanus, tibicen, a poeta Timotheo diversus. Apud Lucianum Harmonides hunc tibicinem alloquitur, poetam accessionis tantum loco commemorat: ὦ Τιμόθεε... ὑπηύλησας τῇ Πανδιονίδι καὶ ἐνίκησας ἐν τῷ Αἴαντι τῷ ἐμμανεῖ, τοῦ ὁμωνύμου σοι ποιήσαντος τὸ μέλος. conf. Bergkium, Lyr. [4] p. 620 med. Similiter *Nioba* quoque, clarissimum pulcherrimumque Timothei carmen, dithyrambis tribuendum videtur. Testis est de hoc carmine Diogenes Laert. VII, §. 28, qui Zenonem Cittieum narrat, cum forte fortuna e schola domum rediret, tam infelici casu in terram procubuisse, ut unus e digitis frangeretur. Tum senem, dolore superatum, vitae finem sibi instare intellexisse et terra manu percussa illum versiculum exclamasse, quo Nioba Charonti impatienter, ut ad sese veniat, urgenti respondet: ἔρχομαι, τί μ' αὔεις; Hoc dicto edito Zenonem, occlusis manu sua faucibus, animam efflasse: καὶ παραχρῆμα ἐτελεύτησεν ἀποπνίξας ἑαυτόν. Versiculum illum ex Timothei Nioba petitum esse, — nam multorum sane poetarum "Niobae" ferebantur et Diogenes Laertius carminis tantum, non poetae nomen posuit — documento sunt versus Machonis comici ex Χρειῶν libro apud Athenaeum 8, p. 341 C: ὁ Τιμοθέου Χάρων σχολάζειν οὐκ ἐᾷ || οὐκ τῆς Νιόβης, χωρεῖν δὲ πορθμίδ' ἀναβοᾷ, || καλεῖ δὲ μοῖρα νύχιος, ἧς κλύειν χρεών. conf. Bergk, Lyr. [4] p. 621 et Schmidt, diatriba p. 112.

Godofredus Hermannus in edit. Aeschyli I p. 355 ad Niobae fragm. 173 acutissime coniecit, pulcherrimam illam imaginem Charontis heroem aliquem cunctantem ad sese vocantis non ex Timothei officina prodiisse, sed Aeschylum in Nioba hoc inventum reliquis poetis praeivisse. Documento esse Sophoclis Oedipum in Colono, qui cum ad Orcum descendere ipse quoque cunctetur, divina quadam inferorum voce compelletur v. 1627 ὦ οὗτος οὗτος, Οἰδίπους, τί μέλλομεν || χωρεῖν; πάλαι δὴ τἀπὸ σοῦ βραδύνεται. Id quidem hercle Sophoclem ex Aeschyli Nioba sumpsisse; Sophoclis deinde exemplo Timotheum quoque thensaurum illum pulcherrimum ab Aeschylo mutuatum esse. Sed quamvis venuste haec unius Croesi in litteris hereditas ad posteros in arte propagata ab Hermanno excogitata sit, caussam non video, cur de Timothei ingenio tam contemptim statuamus. Quid commeruit, quaeso, homo, quem plurimi fecit Euripides, cui rursus Euripides palmam et principatum inter eius aetatis poetas vaticinatus est, cur illum imaginem poeticam, quae summo ingenio haud indigna esset, animo concipere potuisse omnino desperandum sit?

19. Timothei "Phinidae" et "Laertes". Ex dithyramborum, qui heroum fata persequuntur, reliquiis quid de Pindari "carminibus dramaticis tragicis" colligi possit.

Duo praeterea sunt tituli carminum Timothei apud Suidam, *Phinidae* et *Laertes*, quae in dithyramborum genus referri posse videntur, sed fluctuat iudicium eruditorum; Scheibelius, de dithyr. arg. p. XVI dithyrambos fuisse arbitratur; Schmidtius, diatr. p. 112 διασκευάς, de quo genere conf. Bernhardyum Hist. litt. II, 1 (1867), p. 756 med.; Bergkius, Lyr.[4] p. 619 utrum ei tituli Nomis, an Dithyrambis adscribendi sint, in incerto relinquit. Iam igitur, ut eorum, quae exposita sunt, aliquam nunc summam colligamus: praeter dithyrambos, quorum argumentum ex ipsius Bacchi fabulis et religione petitum est, in sacrorum Dionysiacorum, quae hieme celebrabantur, apparatu aliud paullatim genus primum ab Sicyoniis, deinde ab aliis quoque Doriensibus frequentari coeptum est, quod a Baccho canendo discedens in heroum et heroinarum fatis exornandis omni studio versabatur. De eo genere apte dici poterat, quod Sicyone Epigeni tragoediarum auctori, cum Adrastum pro Baccho carmine prosecutus esset, populus acclamasse traditur (Apostolius in Paroemiogr. Gr. edd. Leutsch et Schn. vol. II p. 585 lin. 1 et 21): οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. Recordanda nunc rursus sunt, quae supra de Pindari operum duobus indicibus diximus. In altero dithyramborum duo libri erant; in altero unus tantum liber, sed praeter eum genus quoddam carminum, δράματα τραγικά, quod quomodo definiendum esset, obscurum fuit. Iam quid planius est et clarius, quam illum titulum sine certa, cui respondeat, re, et rursus hoc carminum genus certo titulo carens invicem sese expetere, atque alterum alterius consortium et coniugium flagitare. Nulla hercle est dubitatio, quin Pindari δράματα τραγικὰ carmina sint argumenti heroici, in quibus Bacchi loco heroes prodibant, qui nobili aliqua et generosa culpa insignes, pro genere humani quasi propugnantes, fortunae tela et ictus intrepido pectore exciperent.

20. Tragoedia ἀπροσδιόνυσος ubi et quo auctore initium ceperit; quem heroem primum celebraverit.

Iam proximum est, ut definiamus, quando illud carminum genus, quo a choris tragicis heroes et heroinae canebantur, tragoedia illa, ut brevi dicamus, ἀπροσδιόνυσος orta sit. Cadit hoc saepius in Graecorum litteras, ut quo obscuriora et a cognitione remotiora institutorum primordia sint, tanto clariore fabularum luce niteant. Ita in hac quoque quaestione testimonia in speciem certa et nitida minime desunt. Tamen hic ipse nitor nubem scrupulorum excitat. Verum quamquam fucum haud cunctanter agnosco, tamen eius famae eorumque rumorum nullum plane usum esse, haudquaquam concesserim. Valet in hac quoque re sapientissimum Hesiodi dictum: ἔργα v. 763 φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλ-

λυται, ἥντινα πολλοὶ || λαοὶ φημίξωσι· θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή. Narrant igitur complures scriptores *Epigenem Sicyonium* primum tragoediam scripsisse, in qua — mirabile dictu — non Bacchi, sed, rem inauditam ausus, heroum alicuius fata prosecutus sit. Eum heroem Adrastum fuisse ex Herodoti loco 5, 67 O. Muellerus Dor. II², 360 egregie conclusit. cf. Schmidt, Diatr. de dithyrambo p. 185. Exponunt de Epigenis invento data opera scriptores, qui proverbii: οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον originem explanant. Gravissumum testimonium est Photii in Lexico II, 35 ed. Naber et Apostolii in Paroemiographis edition. Gottingens. II, 585, qui ad verbum consentiunt: Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τραγῳδίαν εἰς αὐτὸν ποιήσαντος, ἐπεφώνησάν τινες τοῦτο. ὅθεν ἡ παροιμία.

Inest in his verbis aperta repugnantia. Nam acclamavit populus Epigeni, quod nihil ille de Baccho dixerat; itaque εἰς αὐτὸν verum esse nequit. Quamobrem alii alia ratione verba emendare studuerunt. Welckerus, qui compluriens locum tractavit, negationem insertam volt; atque οὐκ saepe in scriptoribus omissum esse; Nachtrag zur Aesch. Tril. p. 277. extr. et Griech. Götterlehre I, 93. Odofredus contra Muellerus, Doriens. II²,. 360 εἰς Ἄδραστον optime coniecit. Eadem ratione aliis quoque scriptorum locis αὐτὸς pronomen in nominis proprii locum irrepsit, velut e Muelleri coniectura in Prolegomenis in Mythologiam p. 272 apud Plut. Thes. 23: ἐξῃρέθη δὲ τέμενος Αἰγεῖ, ubi codices falso: αὐτῷ, atque adsentitur Muellero Welckerus, Nachtr. p. 205. Una sola est retinendae scripturae εἰς αὐτὸν via: si dicamus indicari id, quod ut faceret Epigenes, a populo exspectabatur. Hunc in modum reliqui, qui hanc explicationem adferunt, rem accepisse videntur. Suidas s. v. οὐδὲν πρὸς τὸν Δ.] Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τραγῳδίαν εἰς τὸν Διόνυσον ποιήσαντος ἐπεφώνησάν τινες τοῦτο, quam scripturam ut rectam defendit Pinzgerus, de Dramatis Graecorum satyrici orig. Vratisl. 1822 p. 12. Similia tradunt Zenob. V, 40 ed. Gott. I p. 137; Diogenian. VII, 18 I p. 289.

21. Testium de Epigenis tragoedia communis et princeps auctor, omissis eis, qui propagandae tantum ad posteros famae negotium sustinuere, Chamaeleon est Heracleota.

Iam si quaeramus, cui tandem ex nobilioribus scriptoribus paroemiographi illam de Epigene fabulam debeant, nomen nobis se offert scriptoris satis clari, *Chamaeleontis Heracleotae*, Peripatetici, Theophrasti aequalis. Pergit igitur Photius II, 35 post verba supra allata: βέλτιον δὲ οὕτως· τὸ πρόσθεν εἰς Διόνυσον γράφοντες τούτοις ἠγωνίζοντο . . . ὕστερον δὲ . . . εἰς μύθους καὶ ἱστορίας ἐτράπησαν, μηκέτι τοῦ θεοῦ μνημονεύοντες . . . καὶ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος τὰ παραπλησία ἱστορεῖ. Plurimum interest, ut recte nunc cognoscatur, non posteriorem tantum, sed priorem quoque illam explicationem de Epigene, qui primus tragoediam ἀπροσδιόνυσον, a Baccho solutam, composuerit, ex Chamaeleontis de Thespide libro sumptam esse. Potest, opinor, hoc paene pro certo demonstrari. Suidas in articulo Θέσπις tradit, Thespidem ab Epigene sedecimo gradu originem traxisse Θέσπις . . . τραγικὸς ἑκκαιδέκατος ἀπὸ τοῦ πρώτου τραγῳδιοποιοῦ Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τιθέμενος. Iam verisi-

militudinis omnes numeros habet, Photium, Suidam, Paroemiographos, quae de Epigene tradunt, ex eodem fonte hausisse. Non opus est, ut hunc fontem ipsius iam Chamaeleontis librum fuisse, statuamus, sed accepit ille quicunque fuit fons copias suas aliqua certe a Chamaeleonte via. Hac ratione admissa non nimium nostra sententia discedet ab eis, quae doctissime *Ernestus Koepke* in eleganti de Chamaeleonte Heracleota libello, Berolini, 1856, p. 33 lin. 10 disputavit. Mirum est, virum praestantissimum testimonio illo apud Suidam de Epigene Thespidis proavo uti omnino noluisse.

22. Rectissume *Bernhardyum* coniecisse, Epigenis memoriam ex anagrapha quadam rerum artis musicae apud Sicyonios haustam esse.

Vidimus igitur, multos in ea re testes consentire, Epigenem Sicyonium primum ausum esse tragoediam ἀπροσδιόνυσον scribere. Quaeritur iam, unde haec narratio orta sit, quamque fidem habeat. Nam Chamaeleontem eam minime finxisse, cum multis caussis, tum inde adparet, quod eam in proverbio illo explicando reprobavit; quare minime eam finxit, sed traditam invenit. Itaque quibus auctoribus haec fama nitatur, si fieri possit, investigandum est. Proposuit de hac re coniecturam egregiam *Godofredus Bernhardy*, Hist. litt. Gr. II, 2 (1872), 10 med., quae cum per se iam verisimillima sit, tum aliis quibusdam argumentis ita confirmari potest, ut pro certa haberi possit. Bernhardyus Epigenis nomen et memoriam ex anagrapha quadam Sicyonia sumpta censet. Sicyonem patriam anagrapharum fuisse, notum est. Atque anagraphas regum clarissimas nunc mittamus. Sed apud eius urbis cives, memoriae rerum conservandae studiosissumos, artis musicae quoque annales publice adservabantur et propagabantur, in quibus tam victoriae in ludis publicis musicis impetratae, quam nova in arte musica inventa litteris consignata erant.

Huius litterarum monumenti, cognitu profecto dignissumi, memoriam Plutarcho debemus, qui duo inde fragmenta affert ex Heraclidis Pontici de Musica opere deprompta. Ac prius quidem fragmentum ex ipso anagraphae Sicyoniae ingressu desumptum est, quoniam in eo de artis cithara canendi inventore Amphione, Iovis et Antiopae filio, exponitur, Plut. de mus. 3 Ἡρακλείδης δ' ἐν τῇ Συναγωγῇ τῶν ἐν Μουσικῇ . . . τὴν κιθαρῳδικὴν ποίησιν πρῶτόν φησιν Ἀμφίονα ἐπινοῆσαι . . . πιστοῦται δὲ τοῦτο ἐκ τῆς ἀναγραφῆς τῆς ἐν Σικυῶνι ἀποκειμένης. Hanc de Amphione artis citharoedicae inventore narrationem ne quis pro otioso hominum litteratorum posterioris aetatis lusu habeat, monendum est, Amphionem et Zethum apud Sicyonios quoque heroes patrios et demesticos fuisse, quos Antiopa, Asopi, ut videtur, apud Sicyonios filia (Paus. 2, 6, 4), peperisset. Paus. 2, 10, 4 ἐν δὲ αὐτῷ (i. e. τῷ Ἀφροδίτης ἱερῷ) πρῶτον ἄγαλμά ἐστιν Ἀντιόπης· εἶναι γάρ οἱ τοὺς παῖδας Σικυωνίους, καὶ δι' ἐκείνους ἐθέλουσι καὶ αὐτὴν Ἀντιόπην προσήκειν σφίσι. Itaque quod Amphion musices inventor appellatur, non enchiridii doctrinam sapit, sed ex fama populari sumptum. In altero apud Plutarchum fragmento de Clonae clarissimo invento traditur, Plut. de Mus. 8:

ἐν δὲ τῇ ἐν Σικυῶνι ἀναγραφῇ τῇ περὶ τῶν ποιητῶν Κλονᾶς εὑρετὴς ἀναγέγραπται τοῦ Τριμεροῦς νόμου.

23. Tempora quomodo in illa anagrapha computata sint. Epigenis aetas quod ad Heraclidarum in Sicyoniam adventum revocatur, documento est, Epigenis tragoediae Dorienses auctores et patronos fuisse.

Narrat praeterea Plutarchus, in anagrapha Sicyonia rerum memorabilium tempora computata esse secundum Heresides Argivas; hoc enim inest in verbis Plutarchi de Heraclidis Pontici libro, de Mus. 3: πιστοῦται δὲ τοῦτο ἐκ τῆς ἀναγραφῆς ... δι' ἧς τάς τε ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τοὺς ποιητὰς καὶ τοὺς μουσικοὺς ὀνομάζει. Haec quoque res documento est, hanc anagrapham non ex eruditorum officina prodisse, sed monumentum fuisse publica auctoritate conditum. Nam Dorienses Sicyonii cum Argis coniunctissimi sunt et dominationis suae apud Sicyonios ius ex Adrasti, herois Argivi, dominatione legitima repetunt. Anagrapha igitur Sicyonia documenti publici vim habet, et quae in ea narrata erant, eius haud dubie famae, quae Sicyone publice recepta esset, fidem praestant.

Iam in anagrapha illa Sicyonia fieri nullo modo potest, quin Epigenis inventum memoratum fuerit. Apud Suidam s. v. Θέσπις Epigenis aetas eum in modum definitur, ut ante Thespidem sedecimus fuerit, qua re ad Phalcae, Temeni filii, qui ex Heraclidarum stirpe primus Sicyone regnavit (Paus. 2, 6, 7), aetatem reicitur. Fuit igitur popularis haec apud Sicyonios fama, illa aetate Epigenem primum novom in tragoediis pangendis iter ingressum esse. Cum hac fama egregie consentiunt ea, quae loco praestantissumo, qui in hac quaestione pro Cynosura et Helice, ad quas navis cursum dirigeremus, nobis fuit, apud Herodotum 5, 67 traduntur, ubi Sicyonii, hoc est Dores Sicyonii, ante Clisthenis aetatem Adrastum heroem choris tragicis celebrasse dicuntur: τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμέοντες, τὸν δὲ Ἄδρηστον. Habes puram putam, quod aiunt, tragoediam ἀπροσδιόνυσον. Suo igitur iure, undecunque haec hausit, sive ex Herodoto, seu, quod malim, ex Aristotelis περὶ ποιητῶν dialogo, Themistius or. 27 p. 406 post med. ed. Dindorf dicit: καὶ τραγῳδίας εὑρεταὶ μὲν Σικυώνιοι, τελεσιουργοὶ δὲ Ἀττικοὶ ποιηταί.

ADDENDA

Ad p. 5, lin. 16 Bacchus ipse Heros nuncupatur in mulierum Elidensium cantilena Plut. Quaest. Gr. 36; Bergk, Lyr. [4] p. 656. Ἡρωίς (i. e. Ἀφηρώιξις) dies festus apud Delphos, quo Semelae adscensus ex Orco ad deos celebrabatur; Plut. Q. Gr. 12; A. Mommsen, Delph. p. 112. et 117, 2.

Ad p. 6, lin. 2 ab inf. Conf. Rohde, Mus. Rhen. 36, 386.

SCHOLAE

SECVNDVM ORDINES DISCRIPTAE

I. ORDINIS THEOLOGORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii*

IOANNES PETRVS LANGE Dr. *Publice* Methodologiam theologiae docebit bis die Lun. et Mart. h. IX.

GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiae romano-catholicae a concilii tridentini temporibus usque ad vaticanum tradet bis p. h. d. Saturni h. IX et X. *Privatim* II. Historiam ecclesiae inde a Caroli m. temporibus usque ad finem saeculi XVI enarrabit quinquies per h. h. X.

GVILELMVS IVLIVS MANGOLD Dr. *Publice* I. Orationem in monte habitam et Ev. Matth. cc. 24. 25 interpretabitur die Saturni h. h. XI. XII; *Privatim* II. Tria priora evangelia ratione synoptica explicabit quinquies p. h. h. XI; III. Novi testamenti theologiam biblicam quatern. schol. h. XII docebit.

ADOLPHVS HERM. HENR. KAMPHAVSEN Dr. *Publice* I. Seminarii exercitationes ad Vet. Test. spectantes moderari perget. *Privatim* II. Psalmos explicabit quater p. h. h. VIII.

THEODORVS CHRISTLIEB theol. et phil. Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii regii tam homileticas quam catecheticas moderari perget. *Privatim* II. Theologiae practicae partem alteram h. e. artem homileticam et theologiam pastoralem docebit sexies h. IX.

GVILELMVS FRIDERICVS BENDER Dr. *Publice* I. Exercitationes ad historiam dogmatum spectantes seminarii theologici moderari perget. *Privatim* II. Theologiam dogmaticam docebit quinquies h. XII.

2. *Professores extraordinarii*

CAROLVS BENRATH Dr. *Publice* I. De coemeteriis veterum Christianorum quae Catacombae vocantur disseret semel p. h. h. p. st. *Privatim* II. Historiam dogmatum exponet quater p. h. h. X.

CAROLVS BVDDE Dr. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes hebraicas cum tironibus habebit bis terve p. h. h. p. st. *Privatim* II. Introductionem in Vetus Testamentum tradet quinquies p. h. h. IX.

3. *Privatim docens*

FRIDERICVS SPITTA theol. Lic. *Privatim* Cultus evangelici doctrinam tradet bis h. p. st.

II. ORDO THEOLOGORVM CATHOLICORVM

Professores ordinarii

ANDREAS MENZEL Dr. *Publice* I. Apologeticen tradet bis p. h. h. IX. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae partem I tractabit quater p. h. h. IX.

FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. Patrologiam docebit bis p. h. h. X. *Privatim* II. Introductionem in libros Veteris Testamenti tradet quater p. h. h. X.

IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. Epistolarum Paulinarum locos selectos interpretabitur semel p. h. h. XI. *Privatim* II. Evangelium Marci exponet ter p. h. h. XI. III. Historiae ecclesiasticae p. II enarrabit quinquies p. h. h. XII.

HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Publice* I. De Sacramentis disseret bis p. h. h. X. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae p. II tractabit sexies p. h. h. IX. III. Theologiae moralis p. I docebit quater p. h. h. VIII. *Privatissime et gratis* IV. Exercitationes catecheticas moderabitur semel p. h. h. V.

HENRICVS KELLNER Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris tradet bis p. h. h. III. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem alteram enarrabit quinquies p. h. h. IX.

FRANCISCVS KAVLEN Dr. *Privatim* I. Introductionis in libros sacrae scripturae partem alteram tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. II. Evangelium secundum Matthaeum exponet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII. *Publice* III. Artem homileticam docebit dieb. Merc. Sat. h. XII. *Privatissime et gratis* IV. Exercitationes homileticas moderari perget d. Sat. h. XI.

III. ORDINIS IVRIS CONSVLTORVM

1. *Professores ordinarii*

HVGO HAELSCHNER Dr. *Publice* I. Ius publicum imperii Germanici tractabit bis p. h. XII. *Privatim* II. Ius poenale Germanicum docebit quinquies p. h. h. X. III. Ius publicum Germanicum quinquies h. XI tradet.

IOANNES FRIDERICVS DE SCHVLTE Dr. *Publice* I. Historiam fontium iuris germ. tradet semel die Mart. h. V—VII. *Privatim* II. Historiam imperii et iuris germanici tradet diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII.

GVILELMVS ENDEMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. Moderabitur exercitationes processus civilis, adhibitis actis iudiciorum, dieb. Lun. V—VII. *Privatim* II. Docebit ius mercatorium et maritimum d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. III. Doctrinam processus criminalis d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII. IV. Ius cambiale d. Merc. h. XI—I.

AVGVSTVS BECHMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes historicas iuris Romani moderabitur die Saturni h. IX et X. *Privatim* II. docebit Pandectarum partes priores quinquies h. X et XI. III. Processum civilem Germanicum quater h. III.

HERMANNVS HVEFFER Dr. *Publice* I. Ius matrimoniorum bis p. h. dieb. Lun. et Iov. h. II

exponet. *Privatim* II. Ius ecclesiasticum catholicorum et evangelicorum quater aut quinquies p. h. docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. III.

CONRADVS HVBERTVS HVGO LOERSCH Dr. *Publice* I. Ius coniugum in eorum bona secundum ius Germanicum exponet semel d. Merc. h. III. *Privatim* II. Ius privatum Germanicum cum iure feudali docebit sexies h. IX. III. Ius Francogallicum civile quod in terris Rhenanis viget tradet quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

ERNESTVS ZITELMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio societati iuris Romani praeerit die Veneris h. IV. *Privatim* II. Institutiones et historiam iuris Romani docebit quaternis diebus h. XI et XII. III. Exercitationes iuris civilis practicas instituet die Mercurii h. XII et die Saturni h. XI et XII.

2. *Professores extraordinarii*

ALFREDVS NICOLOVIVS Dr. scholas non habebit.

RVDOLFVS KLOSTERMANN Dr. *Publice* I. Ius praediatorium docebit semel die Merc. h. IX. *Privatim* II. Ius civile Borussicum tradet quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

ALEXANDER SIGMVNDVS SCHLOSSMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes in corpore iuris civilis interpretando moderabitur semel p. h. d. Merc. h. V et VI. *Privatim* II. Pandectarum partem alteram i. e. ius familiare atque ius hereditarium tractabit diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX.

3. *Privatim docentes*

PAVLVS IOERS Dr. *Gratis* I. Pandectarum capita selecta tractabit d. Lun. et Iov. h. IV. *Privatim* II. Historiam iuris privati Romani docebit d. Merc. Iov. Ven. Sat. h. III. III. De fontibus iuris Romani disseret d. Lun. et Mart. h. III.

ERNESTVS LANDSBERG Dr. *Gratis* I. Gaii Institutionum librum quartum legendum proponet, die Ven. h. VI. *Privatim* II. In foro civili quomodo processerint Romani enarrabit die Iov. h. V et VI.

IV. ORDINIS MEDICORVM

1. *Professores ordinarii*

GVSTAVVS VEIT Dr. *Publice* I. Gynaecologiae partem d. Iov. h. V tradet. *Privatim* II. Artem obstetriciam senis diebus h. VIII docebit. III. Exercitationes practicas in clinico gynaecologico h. XII moderari perget.

FRANCISCVS DE LEYDIG Dr. *Publice* I. De animalium vertebratorum sceleto disseret die Mart. h. IV. *Privatim* II. Anatomiae comparatae partem secundam docebit dieb. Lun. Merc. Iov. h. IV.

EDVARDVS PFLVEGER Dr. *Publice* I. Seminarium physiologicum quotidie moderari perget. *Privatim* II. Physiologiae specialis partem alteram i. e. vegetativam d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX docebit.

HVGO RVEHLE Dr. *Publice* I. De morbis renum disseret semel d. Ven. h. XII. *Privatim* II. Pathologiam et therapiam specialem tradet quinquies h. XII. III. Clinicum et policlinicum medicum moderabitur quotidie h. X$^{3}/_{4}$—XII.

CAROLVS KOESTER Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pathologicum moderabitur quotidie. *Privatim* II. Anatomiam et physiologiam pathologicam specialem quinquies h. V docebit. III. Cursum demonstrativum anatomiae pathologicae cum exercitationibus rite obducendi cadavera ter h. II—IV instituet.

THEODORVS SAEMISCH Dr. *Publice* I. De ratione mutua inter corporis et oculi morbos d. Iov. h. VI disseret. *Privatim* II. Clinicum ophthalmiatricum moderabitur ter diebus Lun. Mart. Ven. h. VIII. III. Cursum ophthalmoscopicum instituet d. Merc. h. II et h. III. IV. Cursum operationum in oculo instituendarum habebit d. Ven. h. II.

CAROLVS BINZ Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pharmacologicum quotidie h. p. st. moderari perget. *Privatim* II. Pharmacologiae experimentalis p. I tradet d. Lun. Mart. Iov. h. III. III. Toxicologiam experimentalem exponet semel d. Mart. h. III.

ADOLPHVS LIBER BARO DE LA VALETTE ST. GEORGE Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum NVSSBAVM P. E. quotidie IX—IV. *Privatim* II. Anatomiam specialem docebit sexies p. h. h. VIII. III. Exercitationes anatomicas una cum NVSSBAVM P. E. prosectore moderabitur quotidie h. IX—IV.

FRIDERICVS TRENDELENBVRG Dr. *Publice* I. Chirurgiae specialis capita selecta tradet semel d. Merc. h. VI. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum chirurgicum moderabitur quotidie h. IX—X$^{3}/_{4}$.

2. *Professor ordinarius honorarius*

WERNERVS NASSE Dr. *Privatim* Clinicum psychiatricum moderabitur die Sat. h. II$^{1}/_{2}$—IV$^{1}/_{2}$.

3. *Professores extraordinarii*

HERMANNVS SCHAAFFHAVSEN Dr. *Publice* I. Anthropologiam dieb. Lun. et Iov. h. III. II. Physiologiam generalem dieb. Mart. et Ven. h. III explicabit. *Privatim* III. Pathologiam generalem dieb. Lun. Iov. et Ven. h. XII tradet.

IOSEPHVS DOVTRELEPONT Dr. *Publice* I. De morbis cutis aget d. Merc. h. IV. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum morborum cutis et syphilit. moderabitur d. Merc. et Sat. h. XII.

CAROLVS FINKELNBVRG Dr. *Publice* I. De infectionibus disseret d. Merc. h. VI. *Privatim* II. Hygienen tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VI.

CAROLVS DE MOSENGEIL Dr. *Publice* I. De fracturis disseret die Iov. h. IV. *Privatim* II. Chirurgiam generalem tradet dieb. Lun. et Iov. h. VIII.

MAVRICIVS NVSSBAVM Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. quotidie h. IX—IV. *Privatim* II. Exercitationes anatomicas una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. quotidie instituet h. IX—IV. III. Anatomiam topographicam docebit d. Lun. et Ven. h. III.

DITTMARVS FINKLER Dr. *Publice* I. De pathologia et therapia digestionis et nutritionis perturbationum semel d. Merc. h. V. II. Laboratorium clinicum quotidie h. p. st. *Privatim* III. Propaedeuticen clinicam sexies quotidie h. IV.

FRIDERICVS FVCHS Dr. *Publice* I. Galvanismi lineamenta tractabit semel bisve h. p. st. *Privatim* II. Acustices capita selecta tradet bis h. p. st.

HVGO RIBBERT Dr. *Publice* I. De tumoribus semel p. h. h. p. st. *Privatim* II. Repetitorium practicum histologiae pathologicae et artis histologicae bis p. h. d. Mart. h. II—IV.

5. *Privatim docentes*

IOSEPHVS KOCKS Dr. *Gratis* I. Pathologiam therapiamque partus semel tradet h. p. st. II. Cursum operationum obstetriciarum bis h. p. st. instituet.

HENRICVS WALB Dr. *Gratis* I. Selecta capita otologiae tradet d. Merc. h. V. *Privatissime et gratis* II. Policlinicum otiatricum moderari perget dieb. Lun. et Iov. h. II$^1/_2$.

CAROLVS BVRGER Dr. *Gratis* I. De morbis narium et laryngis capita selecta h. p. st. semel. *Privatim* II. Cursum laryngoscopiae et rhinoscopiae instituet h. p. st. bis. *Privatissime et gratis* III. Policlinicum morborum laryngis et narium moderabitur quotidie h. XII.

SIGFRIDVS WOLFFBERG Dr. *Privatim* I. Methodos hygienicas praecipue aquas disquirendi tradet bis h. p. i. *Privatissime et gratis* II. Colloquium et studia hygienica semel h. p. i.

GVILELMVS KOCHS Dr. Commeatu impetrato scholas non habebit.

THEODORVS RVMPF Dr. *Gratis* I. De morbis cerebri die Lun. h. IV. II. De ratione mutua inter corporis et nervorum morbos die Ven. h. IV. *Privatim* III. Exercitationes neurologicas policlinicas cum Electrotherapia bis h. p. st. *Privatissime et gratis* IV. Laboratorium neurologicum quotidie h. p. st.

OSCARVS WITZEL Dr. *Privatim* I. Chirurgiae specialis partem I (de morbis chirurgicis capitis) d. Mart. et Iov. h. IV tradet. II. Artem fasciarum adplicandarum docendo et exercendo tradet d. Lun. h. VI. Ven. et Sat. h. p. st.

AEMILIVS VNGAR Dr. *Privatissime et gratis* I. Policlinicum infantum moderabitur bis d. Mart. h. II et d. Ven. h. III. *Privatim* II. Medicinam forensem commilitonibus iuris studiosis explicabit bis h. p. st.

DITERICVS BARFVRTH Dr. *Gratis* De situ viscerum aget semel die Ven. h. IV.

GEORGIVS KRVKENBERG Dr. *Gratis* I. Pathologiam graviditatis tradet d. Sat. h. VIII. *Privatim* II. Cursum operationum obstetriciarum instituet d. Lun. et Ven. h. IV.

IOANNES PRIOR Dr. *Gratis* I. Medendi rationes physicas (Hydrotherapiam, Pneumatotherapiam) tractabit semel h. p. st. *Privatim* II. Corporis curandi medendique in morbis artem diaeteticam docebit bis die Lun. et Ven. h. VI. *Privatissime et gratis* III. Consultatorium policlinicum moderabitur semel die Sat. h. V.

V. ORDINIS PHILOSOPHORVM

1. *Professores ordinarii*

IOANNES GILDEMEISTER Dr. *Publice* I. Elementa linguae arabicae tradet usurus grammatica Casparii ab A. Müllero retractata d. Lun. Merc. Iov. h. II. *Privatim et gratis* II. Zamakhsharii librum Mufassal explicabit d. Lun. Iov. h. XI. *Privatissime et gratis* III. Institutiones arabicas continuabit d. Mart. Ven. h. II. IV. Aethiopicam linguam docere perget dieb. Mart. Ven. h. XI.

PETRVS KNOODT Dr. *Publice* I. Platonis philosophiam tractabit d. Mart. et Iov. h. IV. *Privatim* II. Psychologiam tradet d. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. III.

ERWINVS NASSE Dr. *Publice* I. De mensis publicis disseret semel die Merc. h. V. *Privatim* II. Oeconomiam publicam generalem quater vel quinquies h. IV docebit. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes oeconomicas moderabitur semel h. VI et VII.

RVDOLPHVS CLAVSIVS Dr. *Publice* I. Exercitationes physicas seminarii regii physic moderari perget semel p. h. d. Iov. h. VIII. *Privatim* II. Physices experimentalis partem dimidiam: acusticen, opticen, magnetismum et electricitatem tradet quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X. III. Caloris theoriam mechanicam docebit bis p. h. d. Mart. et Ven. h. VIII.

FRANCISCVS BVECHELER Dr. *Publice* I. Seminarii philol. sodalibus extraordinariis interpretandos proponet graecum de re publica Atheniensium libellum et Terenti Hautontimorumenon d. Lun. et Merc. h. VI. *Privatim* II. Litterarum latinarum historiam tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. *Privatissime* III. Dialectorum italicarum monumenta versabit d. Iov. h. VI.

HERMANNVS VSENER Dr. *Publice* I. Seminarii philol. sodalibus ordinariis Platonis dialogos de quibus commententur et disputent proponet d. Ven. h. V et VI. *Privatim* II. Platonis Convivium interpretabitur d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII

RVDOLPHVS LIPSCHITZ Dr. *Publice* I. In Seminario mathematico de quaternionibus, quae ex numeris integris formantur, disseret d. Merc. et Sat. h. XI. *Privatim* II. Arithmeticam subliniorem exponet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. III. Calculi differentialis et integralis partem alteram docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

AVGVSTVS KEKVLÉ Dr. *Publice* I. Chemiae generalis quaestiones selectas tractabit semel d. Iov. h. IV. *Privatim* II. Chemiae experimentatae partem II, i. e. chemiam organicam, tradet quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII. III. Metallorum et salium chemiam docebit bis d. Merc. et Sat h. XII. IV. Exercitationes practicas in laboratorio chemico moderabitur una cum WALLACH P. E. quotidie ab h. IX ad h. V.

IVERGEN BONA MEYER Dr. *Publice* I. Societatem paedagogicam moderabitur semel d. Ven. h. VI. II. Quaestiones selectas philosophiae recentioris tractabit semel d. Merc. h. VI. *Privatim* III. Historiam philosophiae recentioris inde a Cartesio docebit quater dieb. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. V.

CAROLVS IVSTI Dr. *Publice* I. Exercitationes historicas ad artem spectantes moderabitur d. Merc. h. XI. *Privatim* II. De pictoribus saeculi XVII. disseret d. Lun. Mart. Merc. h. XII.

